[illegible] de 31 [illegible]
[illegible]
[illegible] de [illegible]
[illegible] la [illegible]
[illegible] del [illegible] 1612
al 1773 [illegible]
[illegible]

FUE DESINFECTADO
Este libro usado
para su venta

ESTE MARBETE DEBE SER
STRUIDO POR EL COMPRADOR

JCB

ACTA CAPITULI PROVINCIALIS

PERMAGNO N. IN IMPERIALI SS. PArentis noſtri Dominici Mexiceo Conventu, die decima Maij, anni ab Orbe Redempto milleſimi ſeptingenteſimi quadrageſimi noni, habiti atque celebrati

SUB R. adm. P. N. P.

Fr. EMMANUELE XIMENEZ DE ZISNEROS,

Communi Vocalium conſenſione, & generali omnium gratulatione, ad Supremum Præfecturæ Provincialis in præſentiarum evecto faſtigium.

DEFFINIENTIBUS UNA CUM IPSO

RR. adm. PP. NN. Fr. JOANNE IGNATIO del Clavo, Magiſtro, ac Sancti Officij Qualificatore, primo Deffinitore: Fr. Joanne Emmanuele de Arzeniega, Magiſtro, ac Domus N. S. P. N Dominici de Chimalhuacanatenco Vicario, ſecundo Deffinitore, utròque in Indijs nato: Fr. Philippo Ceſarini, Prædicatore Generali, & Domus N. S. Michaëlis de Atlautla Vicario, tertio Deffinitore: Fr. Petro Moreno Sañudo, ex-Lect. ac in N. Imperiali Mexiceo Cœnobio Primario Regente, utròque ex natis in Hiſpania.

RPJCB

IN NOMINE

'ANCTISSIMÆ, ET INDIVIDUÆ
'rinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti, Almæ
ue Matris Intemeratæ Virginis MARIÆ, San-
ctiſſimi necnon Patris N. DOMINICI,
atque cunctorum Cœlitum. Amèn.

ABSOLUTIONES.

*bſolvimus in primis omnes Conventuum Suppriores, & quarumcum-
que Almæ N. Jacobeæ Eparchiæ Domorum Vicarios.*

DENUNTIATIONES.

DEnuntiamus P. V. Rmæ. quod, abſoluto laudabiliter Præfecturæ Pro-
vincialis quadriennio R. adm. P. N. M. Regia pro Univerſitate Do-
ctoris, Sancti Officij Qualificatoris, atque ad utramque Curiam Pro-
curatoris Generalis, ac Deffinitoris quondam pro Provincia miſſi, Fr.
oſephi Larrimbe, cujus amabile, ac maturum, tam in proſpiciendis Comuni-
atis rebus, quam in vigili noſtrarum legum obſervantia, gubernium, vel ex-
ceri clamitant, â prædicto Officio Jacobæa noſtra Mexicana Eparchia vacavit;
uapropter, accedente Dominica quarta poſt octav. Paſchæ, ſub die decima
nenſis Maij adhuc currentis anni milleſimi, ſeptingenteſimi quadrageſimi no-
ii, Congregatis, de more, & anteacti Capituli indictione, in hoc N. Imperia-
i S. Patris N. Dominici Capitulari Cœnobio Vocalibus pro novo eligendo
apite, ſervatisque omnibus de jure ſervandis, Præſide R. P. Præſ. Sanctæ In-
uiſitionis Qualificatore, Fr. Franciſco Secundo Guerrero; prædicti Imperialis
Conventus Priore, unanimi, tranquillo, ac liberrimo Vocalium, & Electorum
alculo ad Supremum Prælaturæ Provinciæ culmen evectus fuit R. adm. P. N.
'ræſentatus Fr. Emmanuel Ximenez de Ziſneros, jure alternativæ ſervato, de
ujus electione, nedum comunis ipſiſmet mutuò eligentium plauſus, ſed & læ-
us Sacrarum Religionum conſenſus, totiusque Urbis, imo & Regni Procerum
umulata lætitia, nobis viciſim congratulantur; tantum enim illi in omnibus
ere Provinciæ Conventibus, ubi etiam in Indorum miniſterio vixit, innata pe-
e erga Fratres charitas, Religionis zelus, virtutum omnium ornamentum, ac
ræſertim regiminis multoties experta prudentia, atque indeffeſa Comunitatis
erum ſpiritualium, ac temporalium curacitas, illicium conſiliarant, ut, poſt
exennium ex indulto ab eo conſumptum in Prioratu Strictioris Obſervantiæ
San-

Sanctæ MARIÆ de Pietate Cœnobij, nos regularis obſervantiæ vigori, ac uſque nunc pervio, ſpirituali, ac temporali Conventus augmento proſpicientes, bis inſuper diſpenſationem pro ejus proficua inibi in Prælatura continuatione à N. Rmo. M. Generali eflagitare coegerunt: ut videre eſt in Actis Capitulor.
Fol. 8. Provincial. celebrator. annis 1741. ſub R. adm. P. N. M. ex-Prov. Fr. Franciſ-
ſup. 2. co Lopez, & 1745. ſub R. adm. P. N. M. ex-Prov. Fr. Joſepho Larrimbe. Unde iterantes motiva ibi pro Conventuali Prælatura expoſita, & quibus to-
Fol. 9. ti Provinciæ D. O. M. ac Smo. Parente N. Dominico inſpirantibus, amplius
ſup. 2. profuturum ſperamus, electionem noſtram, utpotè ritè, ac canonicè factam, humiliori, quà poſſumus, ſubjectione à V. P. Rma. confirmare contendimus.

Denuntiamus etiam, N. Rmi. M. Generalis literas recepiſſe, die 30. Novembris, & alias, die 5. decembris, ejuſdem anni elapſi 1744. exhibitas, quarum primis, Sella R. M. Mariæ Antoniæ à Sancta Gertrude Conventus N. Sanctæ Catharinæ Senenſis, cum redditu quadraginta ſcutor annalium, & correſpondente ſundo, ab ipſa liberrimè, & magnificè oblato, in ejuſdem Conventus Sanctimonialium ægrotantium hoſpicium, ſolatium, ac curam á S. Rma. applicatur. Secundis, graviſſimum ejuſdem Cœnobij Stæ. Catharinæ Senenſis Miſſarum onus, juxta collectam à nobis Miſſam, S. P. Rma. authoritate Pontificia, ſibi á SS. D. N. Benedicto P. XIV. benignè conceſſa, allevat, & in certum numerum reduxit. Pariterque denuntiamus literas alias ejuſdem N. Rmi. M. Generalis accepiſſe, ſub die 7. Novembris anni 1744 exhibitas, quibus R. P. Fr. Joſephum Martinez de Viedma ad Prædicaturæ Generalis gradum pro Conventu Sti. Philippi, & Jacobi de Azcapotzalco in loco vac. ob mortem R. P. Præd. Generalis Fr. Joſephi de Paredes promoveri juvet. Et alias, ſub eadem die, menſe, & anno, quibus R. P. Præd. Generalis Fr. Emmanuel Zeballos abſolutè diſpenſatur, ut, licet in Conventu N. Stæ. Crucis de Zacatecas, pro quo Generalem obtinet Prædicaturam, non degat, poſſit in eligentium cujuſcumque electionis cætu ad Suffragium admitti. Quas omnes acceptatas denuntiamus.

Denuntiamus etiam, literas alias N. Rmi. M. Generalis accepiſſe die 4. Januarij, & alias die 19. ejuſdem menſis, utraſque eodem anno 1745. exhibitas, quarum primis, certiores nos fecit de immatura Sereniſſimi Imperatoris, ac Chriſtianiſſimi Principis Caroli VII. morte: ac Secundis, de non minus lamentabili, & á toto Ordine N. deplorando interitu Eminentiſſim. D. D. Fr. Ludovici Maria Luſini. Pro quibus, nedum obſtricti mandato, ſed quadam erga utrumque inclinatione compulſi, præſcriptas preces Deo fudimus.

Denuntiamus pariter, ad hanc appuliſſe Provinciam literas Apoſtolicas in forma Brev. à SS. D. Pap. N. Benedicto XIV. ſub die 17. Junij, anni 1744. exhibitas, quibus, omnibus, & ſingulis Confratribus Smi. Roſarij die, quà ex aſſignatione annale Marianum Pſalterium ſunt recitaturi, plenariam indulgentiam benigniter impartitur: inſuperque aliam ſimilem, ſemel in anno ſingulis Ordinis N. Fratribus, qui ad proponendum fidelibus Evangelium, aut concionandum ſolent á Prælatis pro tempore mitti. Denuntiamus itidem, quod literas alias Apoſtolicas ejuſdem SS. D. Benedicti Pap. XIV. die 20. Maij ejuſdem anni 1744. ſub eadem forma exhibitas, accepimus, quibus de ſua aſſueta benignitate, & Paſtorali munificentia duplicem nobis plenariam elargitur indulgentiam, unam omnibus Chriſti fidelibus pro die quinta decima Septembris in Commemoratione S. P. N. Dominici in Suriano: & aliam ſemel in anno omnibus Ordinis N. Fratribus, qui ab omni prorſus temporali curacitate ſemoti, per quadraginta dies ſpiritualibus exercitijs vacaverint.

Denuntiamus etiam, literas alias Apoſtolicas ejuſdem Smi. D. Benedicti,

Pap. XIV. in forma Brev. ſub die 26. Octob. anni 1746. exhibitas, recepiſſe, ſuper extenſione Cultus SS. Gregorij XIV. Pontif. M. Ac itidem ingenti omnium gaudio alias ſub eadem forma, die 6. Aprilis anni 1747. exhibitas, ſuper ſolemni Stæ. Catharinæ de Riccis ab eodem SS. Pap. Canonizatione, cum literis patentibus N. Rmi M. Generalis ad idem aſſumptum miſſis. De quibus omnibus uberi lætitiæ ſenſu congratulamur, ac Divinæ Bonitati perſolventes grates, tam benigni, ac erga nos magnanimi Patris, in quo amantiſſimi D. N. Benedicti XIII. veneramur imaginem, ſemper erimus in orationibus memores. Pariterque denuntiamus, quod, ſub eadem die, & anno exhibitas, patentes alias literas N. Rmi. M. Generalis accepimus, quibus R. P. ex-Lect. Fr. Antonium Sierra ad Præſentaturæ gradum titulo lectionis in loco vac. ob aſſumptionem ad Magiſterium R. P: Præſ. Fr. Emmanuelis Varaona promovet. Quas acceptatas declaramus.

Denuntiamus itidem, ad nos patentes alias literas N. Rmi. M. Generalis, die 9. Julij, anni 1748. exhibitas, adveniſſe, quibus pro ſuo paternali erga hanc N. Provinciam ſtudio, Actis præcedentis Cap. confirmatis, R. adm. P. N. M. ex-Prov. Sancti Officij Qualificatorem, Regiaque pro Univerſitate Doctorem, Fr. Joſephum Larrimbe in Supremum Caput, aut Priorem Provincialem totius Almæ noſtræ Sancti Jacobi Mexicanæ Eparchiæ, creare, ac conſtituere dignatur, ac inſimul, non minori charitatis pondere in noſtras propendens reſumptas ſupplicationes, R. P. Præd. Generalem, Fr. Joannem Zeballos ab omnibus pœnis, etiam privativis in ſententia taxatis, & declaratis plenarie abſolvit, & ad priſtinum cum omnibus Prædicatoris Generalis privilegijs ſtatum reſtituit: cum R. adm. P. N. Præſ. Priore Provinciali, Fr. Emmanuele Ximenez de Ziſneros, ut poſſit tertiò in Conventualem Sanctæ MARIÆ de Pietate Cœnobij Priorem eligi, & aſſumi, ſuper interſtitijs abſolute diſpenſat: ac denique R. P. Lect. Fr. Antonio Mancilla, ut pro gradu, & forma, etiam ad Magiſterium, biennium abſumptum in Magiſterio Studentium, priuſquam Philoſophiam perlegeret, inter annos ad Lecturam exactos computetur, indultum munificentiſſimè tribuit. Pro quibus omnibus, ut tanti, ac tam amantiſſimi Patris in noſtris ad Deum precibus ſimus memores, ſemper honos, nomenque ſuum, laudesque manebunt.

Denuntiamus etiam, hanc N. Provinciam patentes alias N. Rmi. M. Generalis appuliſſe, ſub die 26. Aprilis, & 31. Maij, anni elapſi 1747. exhibitas, quibus hòs, prout ſequuntur, ad gradus promoveri juvet: ad Magiſterium titulo lectionis R. P. Præſ. Sancti Officij Qualificatorem, Fr. Joannem Ignatium del Clavo in loco vac. ob mortem R. adm. P. M. Fr. Emmanuelis Varaona: R. P. Præſ. Fr. Joannem Emmanuelem Arzeniega in loco vac. ob mortem R. adm. P. M. Fr. Didaci Rodriguez de Guzman, utrumque ex natis in Indijs: R. P. Præſ. Sancti Officij Qualificatorem, Fr. Didacum Maguete de Leon in loco vac. ob mortem R. adm. P. M. Fr. Ludovici de Caſtro, ex natis in Hiſpania. Ad Præſentaturam titulo etiam lectionis R. P. ex-Lect. Fr. Franciſcum Larrea in loco vac. ob aſſumptionem ad Magiſterium R. P. Præſ. Fr. Didaci Maguete de Leon, ex natis in Hiſpania: R. P. ex-Lect. Fr. Ildephonſum Cabrera in loco vac. ob mortem R. P. Præſ. Fr. Petri Malo de Molina: R. P. ex-Lect. Fr. Antonium de Viar, & Larrimbe in loco vac. ob aſſumptionem ad Magiſterium R. P. Præſ. Fr. Joannis Ignatij del Clavo: R. P. ex-Lect. Fr. Auguſtinum Saldaña in loco vac. ob aſſumptionem ad Magiſterium R. P. Præſ. Fr. Joannis Emmanuelis de Arzeniega, tres omnes ex natis in Indijs. Ad hujuſmodi autem gradum, ſed titulo Prædicationis, R. adm. P. N. Præd. Generalem, ac Priorem Provinc. Fr. Emmanuelem Ximenez de Ziſne-

ros

ros in loco vac. ob mortem R. P. Præſ. Fr. Laurentij Antonij Menendez, ex natis in Hiſpania; R. P. Præd. Generalem, Fr. Caſimirum Montenegro in loco vac. ob mortem R. P. Præſ. Fr. Emmanuelis Suaſſo, ex natis in Indijs. Ad Prædicaturæ verò Generalis gradum titulo Conventuum: pro N. Imperiali Mexiceo Cœnobio R. P. Fr. Vincentium Botello in loco vac. ob mortem R. P. Præd. Generalis Fr. Joannis Diaz Leal: pro Conventu Smæ. Virginis MARIÆ del Roſario Guadalaxarenſi R. P. Fr. Joſephum Navarijo in loco vac. ob aſſumptionem ad Præſentaturam R. P. Præd. Generalis, Fr. Caſimiri Montenegro, utrumque ex natis in Indijs. Ad ſimilem autem gradum, ſed titulo linguæ, R. P. Fr. Franciſcum Diaz Leal in loco vac. ob mortem R. P. Præd. Generalis, Fr. Nicolai Gadea; R. P. Fr. Joſephum Arteaga in locò vac. ob mortem R. P. Præd. Generalis, Fr. Franciſci de la Torre, utrumque ex natis in Indijs. Ac denique ad hujuſmodi gradum titulo Miſſionis R. P. Fr. Franciſcum Alexabeytia in loco vac. ob aſſumptionem ad Præſentaturam R. adm. P. N. Præd. Generalis Fr. Emmanuelis Ximenez de Ziſneros, ex natis in Hiſpania. Quas pro omnibus acceptatas denuntiamus.

Denuntiamus etiam, ad N. perveniſſe Provinciam, ac ingenti omnium mærore acceptatas fuiſſe literas N. Rmi. Vicarij, ac Procurat. Generalis, Fr. Vincentij Maria Ferreti, ſub die, & anno proxime dicto, exhibitas, quibus de funeſtiori, ac à toto Orbe Dominicano meritò plangenda jactura, morte, ſcilicet, Rmi. ac amantiſſimi P. N. M. Fr. Thomæ Ripoll, Tarraconenſis, certiores nos fecit: ac inſimùl de ejus ad Supremum totius Ordinis noſtri in officio Vicarij Generalis moderamen aſcenſu. Tam intimum equidem, ac gravem irreparabilis, ac inopinati vulneris cruciatum inter ſuſpiria ſingultus, lacrymarumque rivuli reſeravère; namque fas erat, ut in planctu ejus, qui tot in tam diſſitas plagas effuderat beneficia, amara Minervitani fontis fluenta, ubi immediatius fuit expertus Atropos ictus, & noſtris largis imbribus ad augerentur. In tenerrimi igitur tantum erga Patrem filialis amoris argumentum in lugubri funere, maiori, quà potuimus ſolemnitate hoc in Imperiali Mexiceo Conuentu, executo, mæſtiſſimam, ac ſublimem ſepulchralem ereximus Pyram, quæ picturæ vivacitate, laconica poêmatum perſpicacitate, lemmatum ſubtilitate, ac pene innumerabilium luminum diſpoſitione, Regalem Senatum, Eccleſiaſticum Metropolitanum Capitulum, Nobiliſſimum hujus Imperialis Civitatis cætum, Religiones omnes in ſolatium noſtrum confluentes, & aſſidentes fateri forſan compulerit, tantum opus artis inventionem, atque offerentis munificentiam exhaurire: maximè, cum in funebri veſpertina oratione latino idiomate, & in matutina hiſpano notiſſimos oratores fama audiſſent obloquentes.

Denuntiamus itidem, ad nos patentes literas N. Rmi. M. ac Proc. Generalis perveniſſe, ſub die 15. Novembris anni 1747. & alias ſub die 13. Martij 1748. exhibitas, quarum primis R. P. Præſ. Fr. Antonium Claudium de Villegas, ex natis in Indijs, ad Magiſterium titulo lectionis in loco vac. ob mortem R. adm. P. N. M. ex-Prov. Fr. Antonij Pinto de Aguilar promoveri jubet, quas acceptatas eſſe declaramus. Secundis R. adm. P. N. M. ex-Prov. ac Sancti Officij Qualificatori, Fr. Franciſco Lopez, ut in Bæticam Provinciam valeat proficiſci, Hiſpanaque ad litora tendere, licentiam, ac benedictionem impartitur. Quibus præſentatis, ac mature viſſis, V. Deffinitorium tanti, vere Provinciæ Patris, ſaluti, ac comuni Eparchiæ conſulens bono, ingenri omnium dolore acceptatas eſſe, declaravit; ſi tamen Medicorum de hoc ſpecialiter rogatorum judicio, aliquod ei, præter comune imminet in navigatione periculum, prædictarum literarum executionem ſuſpendiſſe, uſque dum V. Rmæ. tam amabilem erga Patrem filialis amoris rationes, & circa ejus vitam tuendam

dam nimiæ curacitatis mctiva, per viam ſupplicationis Provincia exponeret.

Denuntiamus etiam, inenarrabili cunctorum lætitia acceptatas fuiſſe literas Apoſtolicas SS. D. N. Benedicti Pap. XIV. ſub die 21. Martij anni 1749. exhibitas, ſuper cultu, & veneratione cum Officio, & Miſſa B. Ægidij, & B. Alberti de Vergamo: inſimulque doctiſſimam ejuſdem SS. Pap. allocutionem in Conſiſtorio Secreto die 16. Septembris 1748. habitam, circa pretioſam Illmi. Epiſcopi Mauricaſtrenſis, Vicarij Apoſtolici Provinciæ Fo-Kienſis in Regno Sinenſi, Fr. Petri Martyris Sanz, Ordinis noſtri, pro Chriſtianæ fidei deffenſione mortem, cum circulari epiſtola, ſeu patentibus literis V. Rmæ. ſub die 20. Septembris, anni elapſi 1748. datis; & ad omnes Ordinis noſtri Provincias miſſis; quæque primùm nos in tam diſſitis commorantes regionibus, certiores fecit de V. P. Rmæ. electione, ac aſſumptione in totius Ordinis noſtri Caput, Patrem, ac Coronam: de quà in Domino gaudentes hilari ſingulorum vultu, & nobis ipſis mutuo, & V. Rmæ gratulamur, augurantes, eum, qui tot libris editis, nedum Ordinem, ſed & totum Orbem literarium inſtruxerat, Americanaque ad litora animarum zelo tendens, proprijs oculis plagas noſtras conſpexerat, plus omnibus, nobis profuturum; eaque propter omnes, & ſinguli humiliori, quà poſſumus, ſubjectione á V. P. Rma. benedictionem ſummiſsè efflagitamus.

Denuntiamus itidem V. P. Rmæ. Miſſionem noſtram S. P. N. Dominici in Suriano, quam tot, tam Provinciæ, quam Fratrum inter Barbaros degentium laboribus à principio creavimus, aſſiduiſque ſudoribus conſervare ſtuduimus, de Regio mandato Excmi. Domini, hujus novi Orbis Pro-Regis, contiguæ Fratrum Minorum Domui adminiſtrandam traddidiſſe; cum hoc enim onere maiores noſtri tantum aggreſſi fuere laborem, quod, ſcilicet, intra certum annorum numerum, jam expletum, ſi indi eſſent jam ſufficienter inſtructi, prædictæ aggregarentur adminiſtrationi: unde pervijs, tan Seculari, quam Eccleſiaſtico hujus novi Orbis gubernio Miſſionis noſtræ ſpiritualibus, ac temporalibus fructibus; nam Indij noſtrorum fratrum inſtructione, pene innata morum barbarie ſemota, nedum in omnibus noſtræ fidei myſterijs, ſed etiam in æconomicis fuerant imbuti, ut ex teſtimonio nobis dato ſatis conſtat, promiſſis, ac ſtipulatis ſtare nos coegerunt: quod de Concilio PP. die 22. Aprilis anni 1748. celebrato exequimur.

Denuntiamus etiam V. Rmæ. quod, juxta privilegium SS. Pij V. Provincialibus hujus Provinciæ conceſſum, ut Notarios Apoſtolicos pro Religionis negotijs poſſint inſtituere, modificatum in Cap. Generali Rom. 1656. ut duodenarium numerum non excedant: V. Deffinitorium, prævio, ac maturo delectu R. adm. P. N. Præſ. noviter electo ſequentes præſentavit: R. P. in N. de Porta-Cœli Collegio Pro-Rectorem, Fr. Franciſcum de Artuza in loco vac. ob renuntiationem R. adm. P. N. Præſ. Prioris Provincialis Fr. Emmanuelis Ximenez de Ziſneros, ex natis in Hiſpania: R. P. Præſ. Fr. Antonium de Viar, & Larrimbe, Indianum natu, in loco vac. mortem R. adm. P. M. Fr. Didaci Rodriguez de Guzman: R. P. Fr. Raymundum de Sequeyra, Hiſpanum natu, in loco vac. ob mortem R. adm. P. N. M. ex-Prov. Fr. Antonij Pinto de Aguilar: quibus S. P. adm. R. prædicti Officij titulos impartitus eſt.

Denuntiamus etiam, quod die 24. Maij poſt præſentis Cap. celebrationem, convocatis mane, uti juris eſt, Vocalibus ad Deffinitorem, Procuratoremque pro Regia Matritenſi, ac Romana Curia eligendum, ad prædictum munus Canonice aſſumptus fuit R. P. Præſ. Sancti Officij Qualificator, Fr. Antonius Caſtellanos, quem ad hæc, & maiora, uti jam olim Provincia noſtra fuit experta, aptum judicamus: quamobrem á V. Rma. ſimilem electionem confirmare humiliter petimus.

De-

Denuntiamus denique, quod, ordinationi Illmi. Compoſtellani, quondam Generalis M. de Monroy, nobis injunctæ obtemperantes, R. adm. P. N. M. ex-Prov. Regia pro Univerſitate Doctorem, ac Sancti Officij Qualificatorem, Fr. Joſephum Larrimbe coram nobis Deffinientibus comparere fecimus: & cum de ſui Provincialatus tempore actis rationem reddidiſſet, ac præcedentibus circa id publicis edictis, nulla Fratrum quærimonia fuiſſet orta; ſed potius plura, laude digna, ut totalem redemptionem cenſus, centum, ac viginti ſcutor. redituum, cum correſpondente fundò, quo N. Mexiceus Conventus paſſivè gravabatur, ac ſolutionem pro Provincia 800. ſcutor. Cujuſdam, peñe antiquati, redditus, quem Stimoniales Sanctæ Claræ Conventus Queretarenſis in nos ſuſcitarunt; audiſſemus, grates D. O. M. ſummiſsè reddidimus, & V. Rmam. ſuper his certiorem facimus.

ORDINATIONES, ET PRÆCEPTA.

CUM pervius ſit in hac Orbis parte Smi. Roſarij fructus, ac tenerrima erga Smam. Deiparam, Matrem noſtram fidelium devotio, ordinamus, & præcipimus, quod in omnibus Conventibus, & Provinciæ Domibus Fratres noſtri Marianum Pſalterium, ut Cæleſte granum noſtræ curacitati ſpecialiter concreditum, per vicos, & plateas, ut mos eſt, præſertim in prima Menſium Dominica in audientium corda, proceſſionaliter exeuntes, inſeminare non ceſſent: quod ſi aliqua juſta de cauſa impediantur, ut aſſueta hujus Urbis callium inundatione, aut pluvia, intra clauſtra noſtra proceſſionaliter cum populo egrediantur, ut ſic, maiori Smi. Roſarij augmento conſulentes, ferventi etiam Sæcularium devotioni ſatisfaciant. Inſimulque præcipimus, ut Prælati, ac Parochi nimia invigilent curacitate, ut ſiugulis anni diebus mane in facello Smæ. Virginis Marianum Pſalterium cum Sæcularibus reſitetur.

Præcipimus etiam, quod nullus Fratrum pro Præsbyteratus ordine ad examen admittatur, niſi prius authenticum teſtimonium, eum ab obligatione frequentandi aulas abſolvens, commonſtraverit; volumus enim quod nullus ad Præſbyteratum aſcendat, niſi prius Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudijs ſecundum noſtrarum legum ſtatuta, & Generalium Capitulorum acta, maximè Generalis Bolon. in ordinationibus pro hac N. Provincia, ſub Rmo. Cloche M. Generali die 13. Maij, anni 1706. celebrati, terminum impoſſuerit: ad Diaconatus autem poſſint Fratres admitti poſtquam, præter Philoſophiæ curſum abſolutum, Theologiæ gymnaſia per biennium frequentaverint: & ad Sacrum Subdiaconatum, unius ad minus anni tempus in Theologiæ curſu abſumpſerint. Quod ita obſervari præcipimus, ut ſolum diſpenſari valeat cum his, qui taliter materiarum Moralium, & Mexicani idiomatis ſint periti, quod, ut inſignes in utroque ab omnibus judicentur.

Ordinamus etiam, & præcipimus, quod omnium Conventuum, & Domorum Prælati indeffeſsè invigilent, ut aſſuetis horis portæ claudantur, ut ſtatutum eſt Aben, anno 1470. ordin. 2. Atque, ut, quod in noſtris Sacris legibus ſub gravibus pænis, & cenſuris ſancitum eſt circa Ordinis noſtri Secretorum revelationem, ſtrictè obſervetur, præcipimus, quod qui ſcierit quemquam noſtrum cujuſcumque fuerit dignitatis, prædictæ contravenire determinationi, ſub termino trium dierum peremptorio R. adm. P. N. Præſ. Priorem Provinc. certiorem faciat; ſi enim, aliquem prædicta ſcire, ac denuntiationem omittere, invenerimus, ei recluſionis pænam, præter alias arbitrio Prælati relictas, applicabimus.

Item explendori Conventus Sãctimonialium Sanctæ Catharinæ Senenſis, noſtræ

ſtræ curæ pleno jure ſubjecti, conſulentes, præcipimus, quod, nulla ex Monialibus, aut aliæ á Prælatis licentiam efflagitent, ut ſolutæ, aut maritatæ fæminæ aliquo prætextu prædictum ingrediantur, etiam pro brevi tempore Cænobium. Ac etiam præcipimus. ut in prædicto Monialium Conventu Orphani, aut puellæ parentibus cognitis orbæ minimè recipiantur. Quod, ut ab omnibus percipiatur: *Mandamos â la R. M. Priora del Convento de Santa Catharina de Sena de eſta Corte, que es, ó por tiempo fuere, continúe en la negacion de licencia, y las demás Religioſas, y otras perſonas en no pedirla, para que entren en ſu Convento, aunque ſea por breve tiempo, y con pretexto de ſervir mugeres caſadas, ò ſolteras, de cuyo ingreſſo pierde la clauſura ſu antiguo luſtre, y explendor. Como tambien mandamos, no ſe reciban en dicho Convento Niños expueſtos, ó huerfanos.*

Tandem, non tam præcipimus, quam in memoriam fratrum ſummo cordis noſtri dolore revocare cogimur jam diù præceptum, & ſub graviſſimis pænis, ac cenſuris, tam in conſtitutionibus, quam in fere omnibus Cap. Generalibus ſtatutum: nempe, quod fratres ne ad conſequendas gratias, favoreſque Ordinis ſibi conſiliandos, Sæcularibus, etiam in quavis conſtitutis Dignitate miſceantur. Quod, ut ab uniuſcujuſque animo, menteque non excidat, ſicut quondam patentes literas N. Rmi. M. Generalis de Marinis, ſub die 25. Martij 1661. exhibitas, & ſuper hoc ad N. Provinciam miſſas, V. Deffinitorium cum Actis Cap. Provincialis die 28. Aprilis 1663. celebrati, ſub R. adm. P. N. M. Fr. Ludovico de Orduña, imprimere fecit, ſic nos quæ in Actis Cap. Generalis Bon. ſub die 19. Maij 1725 celebrati, ſub N. Rmo. M. Generali de Rippoll, circa idem fuerunt declarata, cum his ad literam reimprimere mandamus, quæ talia ſunt.

Quoniam Sancta, ac undique neceſſaria Religionis tum Hierarchia cum œconomica ægrè admodum florere poſſunt, ac ſtare, donec obtineat graviſſima peſtis illa ſpiritualis, quâ infecti ambitioſi quidam, ſuæque profeſſionis certò immemores, utramque corrumpere, ac perdere miſerrimè pergunt, vocato in ſubſidium ſibi deficientium meritorum veneficò, ac tot vicibus damnato recurſu ad extraneas quaſcumque perſonas, etiam Cardinalitia, aut Imperiali dignitate fulgentes, ut gratias Ordinis, Officia, Dignitates, gradus, Lecturas, vel á pænis impunitatem á ſuis Superioribus extorqueant; indè maiorum noſtrorum veſtigijs inſiſtentes, ut, ſi fieri poteſt, experrecti geminatis ictibus illi animæ ſuæ certam perniciem non tam norint, quam declinent; primo revocamus in memoriam eorum pænas omnes, & cenſuras in eos latas per Summos Pontifices, Gregorium XIII. 5. Junij 1580. in Bulla. Nihil Magis: Clement. VIII. in Conſtitut. quæ incipit: Religioſos viros, data 25. Maij 1592. & Paul. V. in Bulla; Admonemur, 7. Januarij 1608. quibus inſuper in Conſtitutionibus Summi illi Pontifices, ut adamantinos in re tanti momenti reddant Superiores quoſcumque Ordinis noſtri, mandant ijſdem in meritum S. obedientiæ: „ Ne ad inſtantiam „ quarumcumque perſonarum, tam Laicarum, quam Eccleſiaſticarum extra „ eundem Ordinem Conſtitutarum, etiam Cardinalatus honore, ac quacum- „ que Sæculari dignitate, & Excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali „ fulgentium, cuivis dicti Ordinis Religioſo ullam gratiam concedere, vel pæ- „ nas aliquas remittere audeant, ſeu præſumant. *Ex quibus viderint moleſti illi, ac violenti Subditi, quali in diſcrimine, Deum inter, & homines authoritate præſtantes, ſuos conſtituant Superiores.*

Confirmamus deinde, ac innovamus pænas quaſlibet, & cenſuras per tot Capitula Generalia, & per tot Encyclicas á præteritis Rmis. MM. Ordinis hucuſque latas contra illorum gratiarum aucupes; imo & contra illos, qui hujuſ-

modi favores etiam ſponte oblatos acceptant; easque omnes iterum poſt Cap. Generale „ Bononienſe 1706. Conf. 1. extendimus contra diffamatores Fratrum „ apud Sæculares, uti & maximè contra recurrentes ad Tribunalia Sæcularia, ut Electiones turbent, vel mandata Superiorum declinent, aut eorum „ impediant executionem, ſub prætextu etiam quòd id faciant procuratorio „ nomine alicujus Provinciæ, vel Conventus; Declarantes, quemadmodum „ fecit Cap. Generale Rom. 1721. Conf. 11. non idcirco exemptos eſſe eos „ Fratres, quibus conceduntur prædictæ gratiæ à pœnis, cenſuris, Excommunicatione, & alijs, quæ á dictis Summis Pontificibus, vel Capitulis Generalibus imponuntur, ſed eas omninò incurrere, indeque ipſos habendos eſſe „ uti Ordinis deſtructores, totiusque Religionis publicos hoſtes.

Pœnæ autem, & cenſuræ indicatæ veniunt ad has Claſſes, per Cap. illud Bononienſe eò loci recitatas his conceptis verbis.

1. „ Vocis activæ, & paſſivæ privatio, M. Ordinis reſervata; item privatio „ omnium gratiarum, & beneficiorum, officiorumque Ordinis, Graduum, & „ bonorum ad uſum conceſſorum.

2. „ Perpetua inhabilitas, ad hujuſmodi ſeu recuperanda, ſeu poſtmodum „ obtinenda.

3. „ Inhibitio exequendi quamcumque functionem Eccleſiaſticam ſive Altaris, ſive Pulpiti, aut Confeſſionalis.

4. „ Publica nota, ſeu titulus deſtructoris Ordinis.

5. „ Privatio Suffragiorum Ordinis tam in vita, quam in morte.

6. „ Excommunicatio latæ ſententiæ, pluries á diverſis tum priſcis, tum „ recentibus Capitulis fulminata, iterata, & ſpecialiter Supremo Ordinis Tribunali reſervata.

7. „ Denique maledictio Omnipotentis Dei, B. V. M. & SS. Dominici P. „ N. in eos, qui animo pertinaci, & indurato tales ſententias, & pœnas non „ horruerint, Deſtructoribus Ordinis taxatas.

„ Ad hæc tonitrua, qui non expergiſcitur, jam non dormit, ſed mortuus „ eſt. Epiphonema eſt laudati Cap. Generalis Bon.

Ne verò tranſgreſſores á prædictis pœnis, & cenſuris, ſive per facti negationem, ſive per alias proceſſuum, vel exceptionum quaſlibet ambages, ac diverticula, ſeſe facilè eximere, aut ſubducere poſſe temerè ſperent, revocamus in memoriam omnium, Sanctæ recordationis Clementem VIII. in Bulla ſuperius indicata hæc formalia habere: „ Statuentes, quod omnes, & ſinguli in præmiſſis delinquentes nulla alia monitione præcedente, & abſque proceſſu deſuper habendo, ſententias, & pœnas præmiſſas irremiſſibiliter ipſo facto incurrant; quodque ad illos ſententias, & pœnas hujuſmodi damnaliter incurriſſe legitimè probandum, & omnino convincendum, ſolæ præmiſſarum „ perſonarum inſtantiæ, favores, & preces, etiam ore tenus porrectæ, plenam, indubiam, & ſufficientem in judicio, & extra fidem faciant, nec ad id „ probationis alterius adminiculum requiratur.

SUPPLICATIONES.

SUpplicamus P. V. Rmæ. quod, cum ex literis R. P. Præf. ac noſtræ Provinciæ Generalis Procuratoris, Fr. Petri Infante de Amaya, ſub die 14. Martij 1748. exhibitis, conſtet, N. Rmum. M. Vicarium, ac Procuratorem Generalem, Fr. Vincentium Maria Ferreti, R. P. ex Lect. ac hujus Conventus Primario Regenti, Fr. Emmanueli Fletes, ex natis in Indijs, Præſentaturæ gradum titulo lectionis contuliſſe in loco vac. ob aſſumptionem ad Ma-

giſte-

giſterium R. P. Præſ. ac Sancti Officij Qualificatoris, Fr. Antonij Claudij de Villegas, & cum authenticum teſtimonium ad hanc uſque nunc Provinciam non appulerit, ſi res ita ſe habet, quemadmodum præcitatis literis commendatur, aliud duplicatum teſtimonium V. Rma. dignetur emittere; nos enim, R. P. ex-Lect. prænominato in Deffinitorio comparente, ac merita ſua in Actis Cap. proxime præcedentis expoſita cum prædictis noſtri Procuratoris literis reproducente, ac referente; ſimplici Provinciæ Procuratoris dicto fidem dantes, à poſtulatione pro tali gradu, & ſi actu vacante abſtinuimus.

Supplicamus etiam V. Rmæ. ut R. P. Lect. Fr. Nicolao Troncoſo computatum habere dignetur pro gradu, & forma tempus abſſumptum in exercitio Magiſtri Studentium in N. de Porta-Cœli Collegio, priuſquam Philoſophiæ curſum initaret, ita ut ei computentur novem menſes ſuper unum annum, ac ſi poſt Artium Lectionem tali munere fuiſſet condecoratus.

Alia eſt ſupplicatio infra incluſſa in poſtulatione R. P. Fr. Franciſci Arzuza, fol. 12.

POSTULATIONES.

OBtemperantes N. Rmi. M. Generalis de Rippoll ordinationi, pro hac N. Provincia latæ, ut nec minima ſit quærelarum occatio, conſignati fuerunt in meritorum Examinatores, qui authentica uniuſcujuſque inſtrumenta reciperent, & accuratè viderent, R. adm. P. M. Fr. Joſephus de Arzeniega, ex natis in Indijs, ac R. adm. P. M. Fr. Joannes Baptiſta Surianus, ex natis in Hiſpania, qui poſt maturum prædictorum examen in omnium congreſſu poſtulantium de quolibet in particulari fideliter informarunt.

Obtemperantes itidem Ordinationibus Eminentiſ. N. quondam Generalis M. Cardin. de Pipia pro Graduandorum expoſitionibus, ac poſtulationibus, de Concilio RR. adm. PP. MM. ad id ſpecialiter nobiſcum congregatorum, atque per literas A. & R. merita ſecretò judicantium, poſtulationes, & expoſitiones ſequentium ordinare, æquo jure invenimus, ut ex eis P. V. Rma. digniores aſſumat.

PRO GRADIBUS ACTU VACANTIBUS.

PRO UNICO MAGISTERIO TITULO Prædicationis.

ACtu vac. ob mortem R. adm. P. M. Fr. Antonij de Eſcobar, & pertinente ad natos in Indijs, exponimus, & poſtulamus 1. R. P. Præſent. Conventus N. SS. AA. Petri, & Pauli de Queretaro Priorem, Fr. Caſimirum Montenegro, qui præter merita, quibus Præſentaturæ dignus fuit judicatus, ac in Actis Cap. præcedentis expoſita, per quatuor quadrageſimas communi audientium plauſu prædicavit, ac in ſuæ prædicationis tempore ſolum in particularium anni feſtivitatum concionibus ad trigenteſimum numerum jam attingit. Ætatis anni ſunt ei 52. & ad habitus receptione 32.

2. R. P. Præſ. Fr. Joſephum Pizeros, ſexagenarium, qui, præter merita ad Præſentaturam in Actis Cap. Prov. anni 1741. celebrati expoſita, per ſexquadrageſimas cum pene innumeris per annum ſermonibus fructuoſe prædicavit. Atque ab habitus noſtri receptione 45. enumerat annos.

3. R. P. Præd. Generalem, Fr. Joannem de Zeballos, quinquagenarium, qui, præter merita, quæ illum ad Prædicaturæ Generalis gradum dignificarunt, & in Actis Capitulor. Provinc. annis 1725. & 1733. celebrator. fuerunt

expoſita, plurimis graviſſimis tam hac Imper. in Urbe, quam in Angelopolitana feſtivitatibus Orator adfuit tam pene innata dicendi facundia, ut ſibi Magni concionatoris nomen conciliarit. Habitus anni ſunt ei 35. & à promotione ad Prædicaturam 13.

PRO UNICA PRÆSENTATURA TITULO *Prædicationis pro Conventibus.*

AD natos in Hiſpania pertinente, & actu vac. ob mortem R. P. Præſ. Fr. Bartholomæi Ponze de Lara, exponimus, & poſtulamus, 1. R. P. Præd. Generalem Fr. Petrum Dorado, Hiſpanum natu, qui poſt Prædicaturæ Generalis gradum, pluries Verbum Dei, tam in quadrageſimis, quam anni feſtivitatibus, fidelibus expoſuit, ac Secretarij Provinciæ Officium per quadriennium fideliter exercuit. Ætatis ſuæ 61. ab habitus receptione 43. & à Prædicaturæ Generalis receptione 22. enumerat annos.

2. R. P. Præd. Generalem, Fr. Petrum Garrido, Hiſpanum etiam natu, qui, præter undecim quadrageſimas pro Prædicatura Generali jam expoſitas, pluries prædicavit, ac in Prædicatoris Conventualis hujus N. Mexicei Cœnobij Officio decem conſumpſit annos; atque unicus in Actis Cap. præcedentis fuit expoſitus: Ætatis habet 42. & habitus 24. annos.

3. R. P. Præd. Generalem, Fr. Franciſcum Moro Alexabeytia, in Hiſpania natum, qui per undecim quadrageſimas tam intra, quam extra hanc Imper. Urbem prædicavit, & perſepe in anni feſtivitatibus etiam poſt acceptum gradum concionavit. Ætatis anni ſunt ei 41. & ab habitus receptione 22.

PRO 1. PRÆDICATURA TITULO CONVENTUS.

ACtu vac. ob mortem R. P. Præd. Generalis, Fr. Michaëlis Caraza pro Conventu N. Sanctæ Roſæ de Sombrerete, & ad natos in Indijs attinente, exponimus, & poſtulamus, 1. R. P. Fr. Joannem Palmeros, qui continuò tredecim concionavit per quadrageſimas, & per unum biennium in Magiſtri Novitiorum, ac per aliud in Prædicatoris Conventualis hujus N. Mexicei Cœnobij Officijs inſudavit, præter multos intra, & extra hanc Urbem Sermones: atque in Actis Cap. præcedentis ad ſimilem gradum ſecundum locum obtinuit in poſtulationibus. Ætatis habet 44. & ab habitus receptione 29. annos. Inſimulque in eodem primo loco poſtulamus, R. P. Fr. Petrum de Sotomayor, qui per decem, & octo concionavit quadrageſimas, & per ſeptennium inter abditas Indorum regiones Marianum Pſalterium prædicavit; Artium Curſum hoc in Imperiali Conventu legere incepit, quem infirmitate præpeditus, non abſolvit; in N. tamen Sanctæ Crucis de Zacatecas Conventu nedum Philoſophiam, verum, & Sacram Theologiam per quadriennium Sæcularibus legit: atque hoc in tempore quinque publicis Concluſionibus Præſes adfuit: Ætatis anni ſunt ei 41. & ab habitus receptione 24. Qui duo, cum in congreſſu RR. adm. PP. MM. æqualem pro primo loco votorum numerum obtinuerint, unius reſpectu alterius præferentiam V. Rmæ. libenter relinquimus declarandam.

2. R. P. Sancti Officij Commiſſarium, ac Convent. N. S. Jacobi de Quautla Priorem, Fr. Cayetanum Guerrero, qui poſtquam Triennalem Philoſophiæ Curſum in ſtrictioris Obſervantiæ Sanctæ MARIÆ de Pietate Conventu perlegit, præter multos in maioribus anni feſtivitatibus Sermones, per quin-

quinque quadrageſimas prædicavit: ac in Actis Cap. præcedentis ad ſimilem gradum tertium obtinuit in poſtulationibus locum. Ætatis anni ſunt 44. & habitus noſtri 22.

3. Ac in eodem loco duos etiam; propter eandem cauſam nuper dictam, ſequentes exponimus, nempe, R. P. Fr. Petrum de la Campa, qui ſeptem quadrageſimas, præter multos in particularibus anni feſtivitatibus, Sermones, prædicavit: atque ætatis habet 41. & ab habitus receptione 26. annos: ac inſimul R. P. Fr. Petrum Diaz, qui plures etiam præter conciones, ſex ſupra decem quadrageſimas prædicavit: atque ætatis anni ſunt ei 45. & habitus noſtri 25. pariterque, ut ſupra, præferentiam unius reſpectu alterius V. Rmæ. libenter relinquimus.

PRO 2. PRÆDICATURA TITULO LINGUÆ.

ACtu vac. ob mortem R. P. Præd. Generalis, Fr. Franciſci Condarco, & ad Indianos natu attinente, exponimus, & expoſtulamus, 1. R. P. Miniſtrum, Fr. Vincentium Caſtrejon, qui duodecim in utroque idiomate quadrageſimas prædicavit, & in Indorum adminiſtratione quindecim conſumpſit annos: ac in Actis Cap. præcedentis ad ſimilem gradum tertium in poſtulationibus locum obtinuit. Ad ætatis ſuæ 43. & ab habitus receptione 26. jam attingit annum.

2. R. P. Miniſtrum, Fr. Franciſcum Xaverium Parrales, qui, præter multos in utroque idiomate Sermones, ſex ſupra decem prædicavit quadrageſimas; & in Actis Cap. præced. ſecundum in expoſitionibus obtinuit locum. Ætatis habet 46. & ab habitus acceptione 26. annos.

3. R. P. Miniſtrum, Fr. Franciſcum Ruiz, qui etiam præter plures in utroque idiomate Sermones, per undecim quadrageſimas concionavit. Ætatis anni ſunt ei 44. & habitus receptione 26. [redacted]

PRO GRADIBUS OB ASCENSSUM VACATURIS.

PRO UNICA PRÆSENTATURA TITULO Prædicationis.

AD natos in Indijs pertinente, ac vacatura ob aſcenſſum alicujus ex ſupra ad Magiſterium poſtulatis, exponimus, & poſtulamus, 1. R. P. Præd. Generalem, Fr. Joannem de Zeballos.

2. R. P. Præd. Generalem, Fr. Emmanuelem de Zeballos, qui ſeptem ſupra triginta quadrageſimas prædicavit, ac per unum biennium Imper. N. Conventus Supprioratus, & per aliud Smi. Roſarij inibi Comiſſarij partes implevit: quo in tempore omnibus anni Dominici, & feſtivitatibus bis multoties indefeſsè concionavit. Ætatis anni ſunt ei 48. & ab habitus receptione 33.

3. R. P. ex-Præd. Generalem, Fr. Franciſcum Zeli, qui, præter multos in maioribus anni feſtivitatibus Sermones, decem, & octo quadrageſimas prædicavit. Ætatis ſuæ 59. & ab habitus receptione 44. jam enumerat annos.

PRO 1. PRÆDICATURA TITULO CONVENTUS.

VAcatura ob aſcenſſum alicujus ex proximè ad Præſentaturam poſtulatis, & ad natos in Indijs ſpectante, exponimus, & poſtulamus, 1. R. P. ex-Præd. Fr. Franciſcum Zeli.

2. R.

2. R. P. Fr. Joannem Palmeros.
3. R. P. Sancti Officij Comiſſarium, Fr. Cayetanum Guerrero.

PRO 2. PRÆDICATURA TITULO CONVENTUS.

SPectante ad natos in Hiſpania, ac vacatura ob aſcenſſum alicujus ex ſupra ad Præſentaturam pro dicta natione poſtulatis, exponimus, & poſtulamus,

